

Absconditum, ut fertur, olim nuncupata huiusmodi videlicet causa. Romanorum exercitus virtutis suę robore Gallia occupaverat, et quędam pars eorum optima quęque et precipua sibi eligens incolendo terras gentium possidebat. Postquam vero Iulio Cęsari sors obtigisset, ut occidentalis orbis plagas Romanę reipublicę pugnando atque domando penitus subigeret, marinos etiam fines contingens triumphando oceanum transfretaret, quamvis cum ingenti labore et diversis preliorum certaminibus universa perdomuit. Cumque orbe subacto omnibusque superatis et rite compositis vexilla victricia retorquens Romam cum triumpho iam redire decrevisset, electam iuventutem et strenuam pugnatorum militiam ex omni Gallia cum duodecim legionibus suis collegit et precipue propter futuram Thessalici belli congressionem, ad quam anxius toto conamine mentis festinare videbatur. Qui vero ex supradicto pago in hac expeditione assignati sunt, ex militaribus stipendiis sufficientes copias habentes, domesticas aut privatas pecunias in supradicta villa terra curaverunt abscondere et Absconditi nomen eidem villę signanter imponere, ut in reditu sui¹ in hanc fortasse patriam seu ipsi seu posteri eorum ex significatione nominis recti tramitis linea ad occulta reconditarum pecuniarum latibula sine errore valerent attingere. Hęc est ethimologia nominis, quod Abscon corrupto modo appellant. Ita esse, ut dicimus, quorundam, qui ante nos fuerunt, relatione didicimus, qui etiam hoc scriptum se invenisse fatebantur.

Fol. 140^v. Quid inter hęc animadvertis, quid, inquam, censes, huius opusculi lector, opidulorum, viculorum villarumque proportionem significare? Noveris utique domine RICTRVDIS generaliter quondam universa fuisse, unde hęc residua sibi particulariter adhuc conprobantur² esse. Verum autem ipsamet et in vita sua more suo hilariter ea distribuit aliis, hec³ procedente tempore de ecclesia abstracta quibusdam causis exigentibus beneficiata sunt militibus viris. Quicumque enim gesta Francorum legere voluerit et ea diligentius scrutatus fuerit, inveniet procul dubio Francorum regni virtutem quasi aliquatenus degeneratam aliquando extitisse inpotentem ad superandum vel resistendum aliorum regnorum viribus aliarumque nationum gravibus et crebris incursionibus. Danorum siquidem barbara gens aquilonaris, scilicet populus ferocissimus, cum valida manu et grandi robore ac bellico apparatu olim de sedibus suis egressi vastos pelagi gurgites et magnos undarum cumulos inperterrita animo superantes infinita navium multitudine oceanum undique pertexerunt. Qui procellosum equor motu instabile, cunctis preter eos nimium terribile,

1) So Hs.

2) 'conprobante' Hs.

3) 'hoc' Hs.